DE SUCCESSU EVANGELII Apud INDOS OCCIDENTALES, In Novâ-Angliâ; EPISTOLA.

Ad Cl. Virum
D. JOHANNEM LEUSDENUM
Linguæ Sanctæ in Ultrajectinâ Acade-
miâ Professorem, Scripta,

A Crescentio Mathero
Apud *Bostonienses* V. D. M. nec non Collegii
Harvardini quod est *Cantabrigia* Nov-An-
glorum, Rectore.

Londini, Typis J. G. 1688.
Jam recusua, & successu Evangelii apud In-
dos Orientales aucta.

ULTRAJECTI,
Apud WILHELMUM BROEDELETH,
Anno 1699.

DE
Successu Evangelii
Apud
INDOS
OCCIDENTALES
In Novâ-Angliâ.
EPISTOLA.

Clarissimo, Celeberrimo, & Doctissimo, Domino
JOHANNI LEUSDENO,
Vir eximie, & plurimum Colende.

PEr jucundæ fuerunt Literæ tuæ, quibus intellexi, te, & alios in Celeberrimâ, Ultrajectinorum Academiâ, de rebus quæ Conversos in America Indos spectant, certiores fieri, desiderasse. Veram de iis Historiam paucis accipe. Anni plusquam quadraginta lapsi sunt, ex quo, Vir, vere Pius, *Johannes Eliotus* Ecclesiæ *Ripensis* Nov-Anglicanæ (quæ a Bastoniâ non ultra mille passus distat) Pastor reverendus, singulari Gentes Americanas Convertendi Zelo accensus, Linguam Indicam, ut eis faciliore, & feliciore cum fructu, Mysteria Evangelii patefaceret, discere voluit. Quam ob causam *Eliotus* ille *Indorum Americanorum Apostolus* (& non immeritò quidem) audit. Vir hicce Reverendus Tota

Biblia Sacra, non sine labore Atlantæo transtulit, ac in Linguam Indicam vertit. Etiam varios tractatus Anglicos Practicam Theologiam exhibentes, nec non Catechismos traduxit, ac Indicos fecit. Ante abhinc annis viginti & sex in oppido dicto *Natick*, ex Conversis Indis Ecclesiam collegit. Peccata hi sua, non absque lacrymis, confitebantur, & fidem in Christo profitebantur. Postea, & ipsi, & eorum Liberi, Baptizati, & in fœdere Ecclesiastico, quàm solemniter conjuncti sunt. *D. Elliotus* primus fuit qui eis Cœnam Domini exhibuit. Nunc verò hujus Ecclesiæ Pastor est Indus, qui vocatur *Daniel*. Præter hanc Ecclesiam *Natickensem* ex Incolis nostris *Massachusettensibus*, quatuor sunt cætus Indici, quibus nomen Veri Dei & Jesu Christi invocare, solenne est. His omnibus inserviunt *Concionatores Americani*. *D. Elliotus* antehac apud illos Conciones bimestres habere consuetus fuit; jam verò laboribus & Senio (nam Annum Ætatis Octuagesimum Quartum agit) debilitatur. Est & alia Ecclesia, constans ex solis Indis Conversis, ultra quinquaginta Milliaria à nobis dissità in oppido *Marshippaug* nominato.

Primus, in istâ Ecclesiâ Pastor fuit *Anglus*, qui Americanorum linguam callens, illis proprio eorum Idiomate Evangelizavit. Pastor ille *Anglus* è Vivis cessit, nihilo tamen minùs Indo Ecclesiaste fruitur Ecclesia. Sunt præte-

rea

rea quinque Indorum Christi nomen profitentium cætus, qui a *Marshippaug* non longius absunt, habent etiam Prædicatores Indos. *Johannes Cottonus* Ecclesiæ *Plimenthensis* Pastor (Filius venerandi Soceri mei *Johannis Cottoni*, in hâc Ecclesiâ *Bostoniensi* quondam Doctoris celeberrimi) in Lingua Indica discenda miros progressus fecit, estque in ea peritissimus; is ad quinque Congregationes ultimo dictas quavis septimana Concionem Indicam habet. Porrò ex Saconeti Habitatoribus (*scil.* in *Colonia Plimenthensi*) est magna eorum frequentia, qui distinctionis ergò *Indi Precantes* (qui nimirum Deo in Christo supplices sunt) audiunt. Adhuc plura, non procul à Promontorio *Anglicè* vocato *Cape Cod*, sex Gentilium Cætus inter *Catechumenos* annumerandi sunt, & apud quos Indi sex Verbi Dei Præcones. Horum Conventus, *Samuel Treat* Nov-Anglus, *Ecclesiæ Estamensis* Pastor sine Interprete frequentat. Sunt etiam apud *Nantucketenses* Insulaneos *Ecclesia* cum Pastore nuper *Gentili*; nec non varii Catechumenorum Cætus, qui a Conversis Indis erudiuntur. Est & alia Insula Longitudine septem (circiter) Leucas continens (Insula *Martha* vocata) ubi duæ, ac cæteris celeberriores Americanorum *Ecclesiæ* plantantur. Quarum uni, Senex Indus *Hiacoomes* appellatus tanquam Pastor præsidet: etiam hujus Indi Pastoris Filius *Johannes Hiacoomes*, compatriotis mysteria Religionis tra-

dit. In alterâ eò loci *Ecclesiâ Johannes Tokinorb* Conversus Indus docet. In his *Ecclesiis*, Seniores, sive *Presbyteri Gubernantes*, ex ipsis Gentilibus Pastoribus adjunguntur. Pastores per populi suffragia creati fuerunt, & cum jejunassent & precati essent Dn. *Eliotus*, & D. *Cottonus* iis manus imponebant: solennis itaque fuit eorum Ordinatio --- Omnes Conversorum Indorum Cætus (quà Catechumeni, quâ qui sunt in Ordine *Ecclesiastico* constituti) quovis die Dominico convenire solent; Pastor vel Concionator semper ab Oratione incipit, & quidem sine Monitore, quia de pectore. Deinde cum quicunque sit Synagogæ præses Orationem suam finiverit, totus Indorum Chorus Psallendo Deum laudat. Nonnulli ex illis sunt Præcentores optimi. Post *Psalmodiam*, qui concionaturus est, aliquem ex sacrâ paginâ locum (comma unum vel plura prout velit) legit & exponit, documenta colligit, eaque Scripturis & rationibus confirmat, & usus aliquos infert more, *scil.* Anglorum, à quibus istituuntur. Deinde altera Oratio ad *Deum* in Nomine Christi totam Liturgiam concludit. Hoc modo bis in unaquâque Dominica congregantur: præter *Dominicam*, *Dies Festos* non celebrant, nisi aliqua occasio præter ordinem ad id impellit, tum vero totos dies vel in Gratiarum Actione, vel in ejuniis & Supplicationibus, cum magno animorum ardo-

re

re quam solenniter observant. Priusquam Angli has Oras appulerant, Gentes Barbaræ Veri Nominis *DEI* penitus ignaræ fuerunt; unde est quod in Orationibus & Concionibus, verbis ac terminis Anglicanis utuntur. Qui inter illos Sanctissimum *DEI* Nomen invocat, dicit, *Jehovah*, vel *God*, vel *Lord*: sic & multa alia verba, quæ res Theologicas exprimunt, à nobis didicerunt, & mutuari necessum habuerunt.

Ut summatim omnia complectar: Sex baptizatorum Indorum *Ecclesiæ*, nec non Catechumenorum Cœtus Octodecim in nov-Angliâ Christi Nomen profitentium inveniuntur: Ex Indis sunt viginti quatuor, qui Verbum *DEI* prælegunt, & concionantur, ac præter illos ex Anglis quatuor Ministri qui Evangelium Lingua Gentili prædicant. Jam defessus sum scribendo, & vereor ne, si plura recitarem, tibi tædium afferam. Tamen addendum (quod mihi propemodum effluxerat) quam plurimos ex Indorum Pueris esse, qui Catechismum vel à celeberrimo Theologo *Guilielmo Perkinso*, vel à Synodo in Angliâ *Westmonasteriensi* editum, memoriâ tenent, ac Vernaculâ eorum Linguâ, omnibus quæ sunt in eo Quæstionibus, respondere possunt, & solent. Sed manum de Tabula. Nonnullorum Epistolæ de successu Evangelii apud Indos Orientales, præsertim verò *Ceylonenses* Insulaneos, stupenda referunt, quasi Trecenties ho-

minum Millia Domini Nostri Jesu Christi nomen & religionem amplexi essent, & has mirandas Conversiones conatuum, Ministrorum è Belgio missorum, fructus esse. Quod me de hâc re certiorem faceres, te oratum velim. Dissertationes Tuæ de rebus Philologicis, quibus me ditasti, & beasti, sunt (si quid ego judico) perquam Orthodoxæ, solidæ, Lectuque Dignissimæ. A me omnia summa in te Studia Officiaque expecta. Non fallam opinionem tuam. Clarissimis in Vestrâ Academiâ Professoribus, ex me salutem dicito, quibus & Epistolam hanc des legendam, tanquam ad eos quoque scriptam. Vale Vir Eximie. Deus Te quàm diutitissimè Patriæ, Ecclesiæ, & Reipublicæ Literariæ Bono incolumem servet.

Sum Tuus dum Suus,

Crescentius Matherus.

Bostoniæ Nov-Anglorum *Julii* 12. 1687.

F I N I S.

DE
SUCCESSU EVANGELII
APUD

INDOS

ORIENTALES,
EPISTOLÆ
Aliæ
CONSCRIPTÆ

Tum â

D. HERMANNO SPECHT,
V. D. M. in Urbe Columbo, sitâ in Insula
Ceilon.

Tum etiam, à

D. ADRIANO DE MEY, V. D. M. in
Jaffanapatnam, sitâ in eadem Insula, Præfecto Collegii Malabarici;

ET, à
D. FRANCISCO VALENTINO,
V. D. M. in Amboina.

Ad eundem

JOHANNEM LEUSDEN.

JOHANNES LEUSDEN
LECTORI S.

IN literis præcedentibus Americanis fit mentio, stupendæ, & Americanis incredibilis, conversionis Indorum Orientalium in insula Ceilon, quasi *Trecenties hominum Millia Domini nostri Jesu Christi nomen & religionem amplexi essent*; quod fere videtur incredibile. Ut ostenderem hæc plane à vero non aberrare, & adhuc cum tempore majorem conversionem esse exspectandam, ex erectione Seminarii Malabarici, quod auctoritate Nobilissimi D. Gubernatoris de Rhede in Jaffanapatnam est erectum; in quo multi Malabarici pueri educantur, & docentur linguam Belgicam, atque mediante illa lingua artes & fundamenta religionis Christianæ; ut ex illis pueris cum tempore fierent Magistri, Proponentes & Pastores; placuit Extracta quædam hic breviter proponere, desumpta ex literis duorum Pastorum, habitantium in Insula Ceilon, quorum posterior est Pastor, & doctor, atque præfectus illius Seminarii nuper ibi erecti.

D. HERMANNUS SPECT,

V. D. M. In Columbo, sic scribit:

IN regno Jaffanapatnam, sub quo etiam *Manaar* comprehenditur, sunt, excepto *Manaar*,

naar, secundùm supputationem ultimam, & secundùm Catalogum nobis de illis traditum, inventi, conversi Christiani, *centies quadraginta & unum, millia, quadringenti & quinquaginta sex* (141456.) quorum conversioni præpositi fuerunt quinque Pastores; sed ante paucos dies, uno Pastore mortuo, sunt hoc tempore illis præpositi tantùm quatuor Pastores.

Colombo, die 20. Decemb. 1684.

Ille numerus conversorum Indorum Christianorum spatio quatuor fere annorum circiter quadraginta millibus est auctus; prout apparet ex aliis literis ejusdem Domini Specht.

Regnum Jaffanapatnam, subjectum solis Dominis Societatis Indicæ, habet incolas *bis centies mille, septuaginta octo millia septingentos, & quinquaginta novem* (278759.) inter quos incolas sunt Indi Christiani conversi *centies mille, octuaginta millia, trecenti & sexaginta quatuor* (180364.)

Colombo, die 7. Januarii 1688.

D. ADRIANUS de MAY, *V. D. M. & Præfectus erecti Seminarii, sic scribit:*

SUm creatus, per Nobiliss. D. Commissarium à Rhede, Præfectus Seminarii, quod Nobiliss. Dominus hic curat erigi, ut Malabaricos pueros docerem primò linguam Belgicam, & deinde ut eos, mediante cognitione

gnitione illius linguæ, redderem aptos; ut fieri possent, cum tempore, Magistri, Proponentes, & Concionatores. Ad quod opus Deus Benedictionem & Gratiam suam concedat, Amen.

Jaffanapatnam, die 6. Novemb. 1690

EXTRACTUM

Ex alia

EPISTOLA.

STatus Ecclesiæ adhuc est talis, qualis fuit, quando Tibi novissimè scripsi. Malabarici adolescentes, in erecto Collegio Malabarico habitantes, sunt diligentes, & egregiè proficiunt in lingua Belgica; ita, ut spatio unius anni didicerunt legere & scribere. Noverunt Christianas orationes; & Quæstiones ex Borstii libello possunt memoriter recitare; easque ex Belgico sermone in Malabaricum transfere. Cantant etiam Psalmos in nostra Ecclesia. Spero Deum deinceps concessurum esse illis gratiam suam, & eos impleturum Spiritu suo; ut illi Adolescentes cum tempore fiant benedicta instrumenta ad propagandum Regnum Christi inter hos Ethnicos.

Jaffanapatnam, die 22. Januarii 1692.

Aliud

Aliud

EXTRACTUM

Scriptum ex

AMBOINA.

NE aliquis putet in sola insula Ceilon fieri talem notabilem conversionem Indorum Gentilium ad Christianam religionem; en, aliæ literæ, scriptæ a D. FRANCISCO VALENTINO, Dordraceno, V. D. Ministro in Amboina; qui non tantùm de conversione Indorum sed etiam Muhammedanorum ad me latinè sic scripsit:

Summo DEO ad Indicas Orientales me in Amboina Ecclesias delegare visum est, cujus in urbe primaria, Reverendus, nec omnino tibi ignotus, (ut ex ipsius ore hausi) CORNELIUS van der SLUYS, Ultrajectinus, triginta circiter mille animas Verbi Divini præconio, singulari alacritate, & pertinaci inter Ethnicos labore, pascebat, una totius hujus ædificii columna & fulcrum ...... DEUS ab Ethnicismo & Muhammedismo (nam hic sunt multi Mahammedani) ad Christum subditos & miserè errantes reducere dedit. Centeni hic sæpius, uno eodemque

demque tempore, infantes baptizantur, qui paulatim accrescentes laudanda flore ætatis, diligentiæ, ingenii & pietatis documenta præbent... Floret hic religio, florent etiam Gymnasia, adoratur notus inter Ethnicos DEUS, relictisque, patriis, quos à Majoribus colendos acceperant, Diis, Verum DEUM, verique DEI cultum, non modo amplectuntur, superstitione pleni Amboinenses, sed & ipsi, quod mirum, Muhammedani, baptizari se petentes, hilari animo ad Christum se conferunt, ejusque legibus optemperare non recusant. &c.

Amboinæ in India Orientali,
IV. Idus Junii 1686.

Non potui vel ausus fui diutius editionem horum præcedentium differre, tum, propter sollicitationes omnis generis hominum coram factas, tum etiam, per epistolas à me petitas & extortas. Hæc sequens epistola, scripta à Celeberrimo Viro D. PETRO JURIEU, V. D. M. & Sacræ Theologiæ Professore apud Roterodamenses meritissimo, sit instar omnium.

Accepi Vir celeberrime, Extracta Epistolarum, quæ ad te scriptæ sunt, ex insula Ceilon, circa numerum conversorum ad Christianismum: sanè magno gaudio lætatus sum, quod Deus tantam benedictionem impertitus fuerit suis servis, ut tandem opprobrium Reformatæ Religionis tollant, & gra-

ve

ve improperium quo Pontificii nostros infamare conantur, quasi omnem conversiönem Indorum negligamus. At, tuum est, Vir celeberrime, procurare, ut ampliores habere possimus relationes, de modo, quo illæ conversiones numerosæ factæ sunt, & a quo tempore hoc divinum opus inceptum. Omnino enim nostrorum, & honoris nostri interest, ut hæc omnibus patefiant, & in publicum evulgentur. Itaque Virum celeberrimum obnixè rogo, ut hoc opus in se sumat, & hanc ædificationem Ecclesiæ procuret. Deus servet incolumem Virum Celeberrimum, in Ecclesiæ suæ bonum, decus, & ornamentum. Hoc optat, ipsi addictismus

Petrus Jurieu.

Roterodami
Nonis Novemb. 1688.

F I N I S.